

ti, Jansenii, Estii, Maldonati, Mariana, Alexandri. Quibus nec repugnare censendus est Hieronymus lib. 1. Cap. 14. in Jovinianum scribens: *Ex Christi verbo ostenditur, virginitatem non mori, nec fordes nuptiarum ablui cruore Martyrii; sed manere cum Christo, & dormitionem ejus transitum esse, non mortem.* Sed illud significat unum, eximia Joannis puritati, atque integritati datum esse, ut matrimonii, quod nusquam inuit, residuas fordes creanta morte, atque martyrio non elueret; uti Petrus matrimonio junctus expiavit: ejusque idcirco dormitionem, placidam utique atque tranquillam, transitum verius fuisse, quam mortem, omnis felicitatis atque horrois expertem.

Joannes etiam Cap. 11. Apocalypsis v. 3. Binotantum Christi testes, adversus Antichristi blasphemias suscitandos significat, illoque a se distinctos: *Dabo, inquit, duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti facis.* Quos etiam, ex certa Patrum traditione, non alios ab Elia & Henocho futuros, jam satis ostendimus: ut plane Joannem ex illis unum fingere, nemini liceat. Quo vel uno labascit primum adversæ sententiæ fundamentum. Ruit pariter alterum ex Capite 16. Matthæi delibatum, quod Petro & Jacobo non minus, quam Joanni congruere; deque Christi Domini Transfiguratione, non de secundo illius adventu, dictum fuisse, Patres agnoscunt: maxime vero Origenes, Hilarus, Chrysostomus, Hieronymus, Remigius, Theophylactus, Euthymius, in hunc ipsum Matthæi locum; Ambrosius vero lib. 7. in Lucam, & Leo magnus sermone de Transfiguratione. Idque significat unum: Petrum, Jacobum, & Joannem, Christum Dominum, antequam moriantur, in Transfiguratione visuros; quæ Regni illius celestis, sempiternæque gloriæ specimen est. De cætero vero Joannem Apostolum, nondum licet celebrato secundo Christi adventu, mortem gustasse, priorum sæculorum Patres constanter affirmant: Tertullianus lib. de anima Cap. 50. Hippolytus sermone de Antichristo, S. Joannes Chrysostomus Homil. 26. in Epistolam ad Hebræos, Polycrates Epistola ad Victorem Rom. Pontificem, apud Eusebium lib. 3. Historiæ Cap. 31. S. Hieronymus in Caput 6. Epistolæ ad Galatas, & lib. de Viris illustribus, Cælestinus I. Rom. Pontifex, in Epistola ad Patres Concilii Ephesini, S. Epiphanius Hæresi 79. S. Augustinus Tract. 124. in Joannem, Origenes apud Eusebium lib. 3. Historiæ Cap. 1. Dionysius Alexandrinus apud eundem lib. 7. Cap. 25. Quibus certe Andrea & Arctus Cæsariensis, Theophylacti, Euthymii, Ephremii Antiocheni, Freulphi, Metaphrasis, aliorumque sequioris ævi Scriptorum commenta, de Joanne ad finem usque mundi superstitite, nondum subvoluerant.

Tertium nihilo firmius est fundamentum. Joannes enim, scripto post ejus ab exilio reditum Evangelio, Gentibus, populis, & Regibus censendus est prophetasse: quin ultra necesse sit, eum prædicandi muneri restitui, sub Antichristi temporibus, ne falsa videatur facta illi ab Angelo denunciatio. Nec melioris est notæ quod opponitur loco ultimo. Sat quippe Christi calicem bibit, qui licet vitam placida morte finierit, flagella tamen, exilia, tormenta pro Christo sustinuit, & in ferventis olei caldarium coniectus, mortem necessario secuturam, non sine miraculo elusit. Nec Antichristi gladio cadere opus habet, ut impletum in se Christi verbum experiatur. Frustra autem producitur Ambrosius in oppositum, cujus pura & integra lectio non est: *Bestia illa Antichristus ex abyssu ascendit, ut adversus Eliam, atque Henoch, atque Joannem, qui propter testimonium Do-*

mini Jesu terris sunt redditi, præliaretur, ut legimus in Joannis Apocalypsi: sed recenti atque interpolatrice manu infarta sunt verba illa, atque Joannem: & ab universis ferme codicibus, seu manuscriptis, seu etiam cufis procul abfunt: uti postrema Editionis Ambrosianæ curatores Benedictini observaverunt.

XV. Cæterum num Joannes, quem vere mortuum demonstravi, Chritique judicis præcursores minime futurum ostendi, post obitum saltem fuerit excitatus, ut corpore simul & animo ferretur in Cælum, consummata jam tunc felicitate potiturus, (quæ altera de Joanne jaclatur fabula;) non expendo; quod nihil ad præsentem tractationem de Christo Judice venturo, controversia illa pertinet. Hoc dico tantum: nihil ex prisca Patrum memoria ferri, ut hoc dilecto Discipulo privilegium afferatur: sed spuria duntaxat, & apocrypha veterum documenta; ad postrema ætatis Scriptorum testimonia; unde nihil boni succi elicias, ad rem adeo prodigiam & insolitam adstruendam.

EXERCITATIO LXIX.

De signis Christi ad judicium venturi prænunciis.

I. Henoch, & Elia, quos solos venturi Judicis præcursores futuros ostendimus, ex hac luce sublatis, cœloque receptis; ipsoque Antichristo spiritu oris Jesu interfecto, ut loquitur Paulus II. ad Thessalonicenses 2. v. 8. non illico ad judicium processurus est Christus. Dies ut ut minimum quadraginta quinque indiciantur a Deo esse concedendos, ad quietem & pacem Ecclesiæ, ad refrigerium Sanctorum, ad penitentiam subversorum, communis Interpretum sententia est, ac præ cæteris Hieronymi, & Anselmi Laudanensis in Cap. 12. Danielis, Venerabilis Bede in Cap. 8. Apocalypsis, Petri Comestoris in Historia scholastica, & S. Thomæ Opusc. 60. art. 25. Num autem alii plures interjiciendi sint dies, ac etiam anni, antequam subinde Christus adveniat, incertum est. A signis tamen, partim a Prophetis, partim ab ipso Christo notatis in Evangelio, dignoscendum relinquatur. Sunt hæc vero duplicis ordinis. Alia quæ adventum quidem præcedere necesse est, ad quæ tamen non illico sequetur adventus: alia quæ ita adventum antecedent, ut iis de proximo succedat adventus. Priori in ordine sunt, Prædicatio Evangelii in universo mundo, conversio Judæorum ad Christum, prælia, opinionisque prælorum, pestilentiæ, famæ, terræ motus, pseudopropheteæ, ac pseudochristi, postremis maxime temporibus orituri. Ad quæ omnia non illico sequetur Christi Judicis præsignatus adventus. Imo videntur illorum plurima a Christo notata in Evangelio Luca 21. tanquam futura sub Tito Jerosolymorum everisionis signa prognostica: de qua cum perinde, ac de secundo ipsius adventu, fuisset interrogatus, utriusque etiam signa, eodem orationis contextu prænunciavit. Secundo in ordine sunt, quæ a Christo subinde notata sunt v. 25. Capitis laudati: *Erunt signa in sole & luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, & ardentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo Orbi: nam virtutes Cœlorum movebuntur.* Et Matth. 14. v. 29. *Statim post iridulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: & stelle cadent de Cælo, & virtutes Cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in Cælo.* Quibus profecto signis succedet de proximo Chri-

Christus Judex. Unde subjungit e vestigio Lucae: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubem cum potestate magna, & majestate.*

II. Illud tantum exponere juvat: quid ille signis prænunciari debeat, qui potius sicut sur in nocte, & quæ non putamus bona venturus dicitur facris in litteris? Quo etiam sensu accipienda sint, data a Christo Domino signa in Evangelio; quorum aliqua videntur ex prima facie repugnare?

Primum paucis expedit. Si de primi Ordinis signis sermo fiat, ad quæ de proximo non sequitur Judicis adventus, ea profecto nihil obstant, quominus Judex ex improvise venire dicatur. Si autem de alio secundi Ordinis signis quæstio verteretur, illud scire oportet: *Christi ad judicium procedentis nomine*, signa quoque censeri, judicio proxime conjuncta: Christumque idcirco ex improvise venturum ad judicandum, quia hæc ipsa ferendi judicii signa ex improvise contingunt. Uti plane Imperator improvise obsidione urbem cingere dicitur, quamquam illius adventum præveniat exercitus: quod is quoque exercitus urbem circumvallet ex improvise. Sicque perinde stabit quod ab Apostolo dictum est I. ad Thessal. 5. *Dies Domini sicut sur in nocte ita veniet.* Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in viro habenti, & non effugient.

III. Alterum ut multa complectitur capita; ita non una expeditur decisione. De solis itaque & lune obscuracione, quæ primi omnium signi loco datur a Christo, illud certo ponendum: t. veram ac naturalem utriusque planetæ eclipsim esse non posse: cum juxta spherical scientiæ leges, sol & luna eclipsim simul pari nequeant. Solis enim eclipsim contingit interjectu lune inter solem ipsum & terram; lune vero defectus evenit interjectu terre inter ipsam lunam & solem: Repugnare autem lunam soli ac terræ interjici, dum terra luna ac soli interjicitur. 2. Longe minus, ex immenso Christi ad judicium procedentis splendore, orituram illam utriusque luminaris obscuracionem: quæ Hilari, Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii, pia meditatio fuit. Ea etenim planetarum obscuratio, Judicis adventum diebus saltem aliquot antevertem: *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Joels 2. v. 31. Non itaque ex majoris luminis oppositu, Christi scilicet ad judicium procedentis, ea Cælestium luminarium obscuratio continget: Sed, quod verisimilius reputat Augustinus lib. 20. de Civit. Dei Cap. 24. & Epist. 80. ad Hefichium, prodigial in utroque, ad modicum tempus, luminis imminutione, aut subtractione vel densificationum nubium interpositione, ut vel sic horrorem mortalibus incutiant.

Stellarum e Cælo in terram prolapsio, quæ altero inter signa loco ponitur, nisi ad figuratam locutionem trahatur, repugnat plane: cum illarum vel minima, terram decies octies magnitudine vincat. Quare vel stellarum cadentium nomine, cometas, lampyrides, aliæ methæora stellarum similia, ex ære superiori casura, Christus Dominus voluit intelligi: aut si veras stellas accipi voluit, casuras e cælo dixit figurate; quod lumen negaturæ sint suum; nec ultra in firmamento lucere, atque ita cecidisse videbuntur. Quæ D. Augustino, Hieronymo, Venerabili Bedæ, Rabano, Doctore Angelico sententia stetit.

Commovendas Cœlorum virtutes, (in quibus tertium signum est) non uno sensu accipiunt Scripturarum Interpretes. Alii Angelos universim intelligunt eo nomine; quos vehementi admira-

tionem afficiendos, & commovendos ajunt, ad tanti Judicis majestatem. Alii speciatim septimi ordinis Angelos, (quos virtutes, a vi nimirum & robore, quo maxime possent, de more vocant) interpretari malunt: quod & ipsi, tamen pro sua naturæ conditione potentissimi, solem tamen lunamque obscurari, itellasse de Cælo ruere animadvertentes, atronici hærent, & contremiscant. Verum quia id quoque inter signa ponitur, quæ poterunt ab hominibus observari; ut & ipsi imminere judicium deprehendant: iis labentibus accedo, qui Cœlorum virtutes, polos ipsos cardinesque, quibus incumbunt Cæli, interpretantur: quasi e suis polis atque cardinibus convellendi sint Cæli, totaque mundi machina commovenda; ut irati Judicis indignationem, impiorum meritis altius inferant. In quod intendens D. Petrus Epist. 2. Cap. 3. v. 10. *Adveniet, inquit, dies Domini ut sur, in quo Cæli magna impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint; quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus; expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem Cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.*

Futura in terris & in mari signa terrificæ, a Luca notata Cap. 21. *In terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum;* in eundem plane sensum Patres & Interpretes acceperunt: Futuros nimirum ingentes terræ motus, quibus civitates insigniter peccatrices obruantur; horrendasque tempestates, aquarum commotiones, quibus natantia etiam animantia perimantur. De quibus geminis signis illud intelligitur, quod a Joanne Cap. 16. Apocalypsis scriptum est: *Terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus sic magnus. Et facta est Civitas magna in tres partes, & Civitates gentium ceciderunt; & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.* Secundus Angelus effudit phialam suam in mare; & factus est sanguis tanquam mortui; & omnis anima vivens mortua est in mari. Illud ut summe disputari video, quæ sit illa mystica Babylon, cui indignationis calicem daturus est Angelus? Protestantes pro sua in nos humanitate, bonoque genio, Romam interpretantur. At cum illa a Gentium Civitatibus, a Joanne distincta sit, qui quæso Roma dici potest? Rectius ergo Jerosolyma intelligitur, peccatrix utique, Prophetarum ac missi tandem ad se Salvatoris interfectrix; quam ex parte saltem aliqua instauratam, imperii sui sedem constituet Antichristus.

Signum filii hominis ultimo loco compariturum; Dominicam Crucem accepit semper & intellexit Ecclesia: quæ idcirco in publicis supplicationibus canit, *Hæc signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Subscribuntque Patres magno numero, Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Beda, in suis ad hunc locum commentariis, S. Augustinus Tractatu 118. in Joannem, & Sermone 13. de Tempore, Cyrillus Catechesi 15. Leo magnus Epist. 97. Prudentius in Hymno de Nativitate Domini. Quare minus illorum Interpretum probanda sententia est, qui eo filii hominis signi nomine, gloriam virtutemque opperita morte sibi partam intelligi voluerunt, quæ in exercendo judicio parebit maxime: aut qui flagellorum vibices, spineæ Coronæ punctiones, clavorum cicatrices, eo censeri nomine scripturarum. Quamquam enim nil dubitandum, ea quoque vulnerum signa Christum Dominum retinere, ipso Judicii die

die palam omnibus exhibenda: eundemque gloria virtuteque maxima ad iudicium proditura: non id tamen est, quod signum filii hominis antonomastice dicitur, sed Crux salutifera.

Illud tantum quæstioni esse potest, num illa ipsa Crux, cui affixus est Christus, conspicua futura sit in iudicio: num illius imago quædam perfectissima fulgidissimaque, ex aere condensato, manibus angelicis efformata? In quam ego partem ultimam propendeo lubentius. Tum quod mixta corpora (in quibus etiam est Dominica Crux) per ignem generalis deflagrationis interitura sint, Domino iudicante: tum quod laudati Patres, ipsaque Ecclesia, non simpliciter Crucem, sed Crucis signum ad iudicium perferendum, & ab Angelis deportandum dicant. Quæ graviorum Interpretum, Anselmi, D. Thomæ, Toftati, Janfenii, Estii observatio est.

His repugnare videbitur S. Joannes Chrysostomus Homil. 1. de Cruce & Latrone, Christum cum ipsamet qua pendit Cruce, venturum haud obscure asserens. At Chrysostomo stare in eo capite, religio mihi fuerit, in extremum errorem abeunt, Historiæ Ecclesiasticæ apertissime repugnantem. Christum enim cum hac ipsa qua pendit Cruce, venturum ad iudicium contendit, quod illam secum sustulerit in Cælum ascendens. Quod quis non videat esse falsissimum? Crucem solam, Chrysostomi verba sunt, non reliquit in terra, sed secum eam levavit in Cælum: Sed ais, hoc unde demonstratur? Et ideo audi, quod cum ipsa veniet, cum ipsa secundam gloriosam suam presentiam faciat. Si sic est, ruit tota inventæ Crucis historia, tot Scriptorum suffragio nixa, & ab Ecclesiæ solenniter celebrata: Quam & ipse Chrysostomus memorat Homil. 84. in Joannem. At nondum fortassis audiverat, dum Homiliam 1. de Cruce & Latrone adornavit; aut nondum illi integram fidem adjuverat, ut fecit postea.

In extremum alterum abeunt alii, qui non modo Crucem, sed & columnam, flagella, spineam coronam, clavos, spongiam, lanceam, & reliqua Dominicæ passionis instrumenta, in iudicio apparitura contendunt: Doctoremque Angelicum in eam sententiam trahere adiungunt. Eoquo quæso vade, quo teste, pieratis specie finguntur ista? Nihil enim huiusmodi apud Patres, & præcos Scripturarum Interpretes, ac ipsum quoque, quem iactant, Doctorem Angelicum, Opusculo 2. Cap. 244. Sed Christum Dominum passionis indicia demonstraturum, simpliciter scribit: quo nomine, susceptorum olim vulnerum relicta vestigia voluit intelligi; non ipsa quibus infecta illi fuerant, instrumenta.

IV. Signis illis a Christo Domino prænunciatis in Evangelio, ignem generalis deflagrationis addunt alia Scripturarum oracula; in ipso Iudicis adventu, seu in illius ad iudicium apparitione, divinitus excitandum. De hoc Regius Vates Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Psal. 49. Ignis in conspectu eius exardescet. Joel 2. Ante faciem eius ignis vorans. Ac ne quis illos de extremo iudicio locutos neget, easve loquendi formulas ad meras figuras detorqueat; disertius Apostolus Cap. 1. Epistolæ 2. ad Thesalonenses, venturum Dominum Iesum dicit, de Cælo, cum Angelis virtutibus eius, in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi. Et 1. ad Corinthios Cap. 3. v. 13. Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Distertissime vero Petrus Epist. 2. Catholica Cap. 3. v. 10. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cæli magno impetu tran-

sient, elementa vero calore solventur; terra autem, & que in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus: expectantes & properantes, in adventum dñi Domini; per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent. Quibus edocita Ecclesia Catholica, iam tum a primis sæculis, & in antiquissimis celebrandi Baptismatis ritibus, Christum Dominum profiteretur, Judicaturum vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Primus ignis hujus, & deflagrationis effectus erit, mundi huius elementaris innovatio aque purgatio, in eo certe posita, iudice Augustino lib. 20. de Civitate Dei Cap. 16. & D. Thoma in supplemento quæst. 74. art. 1. & 2. quod qualitates elementorum, mortali corporum nostrorum conditioni congruentes, penitus interibunt; aliis mirabili mutatione succedentibus, quæ corporibus nostris immortalibus congruant. Quo sensu accipienda veniunt, quæ passim sacris in litteris, de futuro Cæli terræque, elementorumque interitu, mutatione, transituque dicuntur: Isaia 65. v. 17. Ecce ego creo Cælos novos, & terram novam. Cap. 66. v. 22. Cæli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me. Psal. 101. v. 27. Cæli peribunt, tu autem permanes. 2. Petri Cap. 3. v. 13. Novos Cælos & terram novam secundum promissam ipsius expectamus. Apocalypsis Cap. 21. v. 1. Vidi cælum novum & terram novam. Primum enim Cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est. Matthæi Cap. 24. v. 35. Cælum & terra transibunt. Nempè ut interpretatur Doctor Angelicus Quæst. 74. supplementi art. 5. Manebunt elementa quantum ad substantiam & qualitates eorum proprias: sed peribunt, quatenus purgantur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt; & ab impuritate, quæ per actionem & passionem mutuam, in eis accidit. Quia jam cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis, mutua actio & passio esse non poterit. Et hoc Augustinus appellat qualitates corruptibiles elementorum: scilicet innaturales dispositiones eorum, secundum quas corruptioni appropriantur.

Alter supremæ deflagrationis effectus erit, Iustorum tunc temporis in vivis agentium probatio, atque purgatio. Hos enim ignis ille, tamquam divinæ iustitiæ instrumentum, urendo affliget, & ad plenum purgabit, tanta doloris acerbitate, quanta illis erit opus, ut statim morti traditi, venturo iudici, cum cæteris sanctis, per beatam resurrectionem occurrere possint. Quare erit illis ignis ille purgatorii vice, quem relique patiuntur animæ, quæ ex hac vita non ita plene purgatæ discedunt: Ut auctor est D. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei Cap. 25. illud Malachie 3. versans ex occasione purgabit filios levi: Apparet, inquit, in illo iudicio extremo, quasdam quorundam purgatorias penas futuras. Et paucis interjectis: Ecclesia, inquit, velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata novissimum: iis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria erit. Num autem ex eo igne aliquid quoque passuri sint Iusti, tanta tunc sanclitate præstantes, ut nihil purgandum præ se ferant, puerique sacro Baptismate tincti; intacta præcis Patribus quæstio est. Quamquam enim qui deflagrationem illam, corporum resurrectione posteriori exstimarunt, (exstimarunt autem falso) nihil Iustos jam suscitatos, ex illo igne passuros definierint: (æquid enim gloriosa Corpora pati possent?) Quid tamen ii passuri sint eminentissimæ Sanctitatis Iusti, quæcque nihil luendum superest, quos mortalem adhuc vitam agentes inveniet ignis ille; indictum, penitus reliquerunt: ac mihi

mihî dicere, difficillimum est. Hos si nihil pati velit Deus optimus maximus, præstare utique poterit: Hocque illis erit incendium mundi, quod fuit caminus tribus pueris: ut de aliis loquitur Augustinus lib. 20. de Civitate Dei Cap. 18. Si pari velis aliquid, tantum ut ex hac vita, illius ignis molestia rapiantur, præstabit & iuste. Nam & hac est, ex præparentis vitio, unicuique vel iustissimo purgatissimoque poena relicta, ut mortem non sine dolore cruciatuque patiatur.

Tertius, de quo nemo possit ambigere, supremæ deflagrationis effectus erit, impiorum poena atque supplicium. Illos enim adhuc in vivis agentes, antequam mortui, suscitatis, iudicaturque æterno igne damnentur, prævia illa subitaque mundi huius deflagratione arduos, Scriptura testatur: Psalmo 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. 2. ad Thesal. 1. Venturus Christus dicitur, in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & non obediunt Evangelio. Quæ de prævio illo igne, non de tartareo, ad æternum impiorum supplicium destinato, manifeste sunt dicta.

Quartus sequitur haud ita certus, ex communi tamen Theologorum sententia positus, generalis deflagrationis effectus: Hominum videlicet omnium, seu bonorum, seu malorum repentinus interitus; ut subinde pristinae luci redditi iudicio sistantur. Cum enim constitutum sit omnibus hominibus semel mori; multique in illa postrema humanarum rerum periodo, alia nulla subita mortis causa contingat; quid tam naturale est, quam ut generali illa deflagratione perimantur? Christus certe haud alia ratione Iudex vivorum & mortuorum est dictus; quam quod illos ex æque iudicaturus sit, qui ante consummationem sæculi fuerint mortui, & qui in ipsa sæculi consummatione vivi erunt: ita tamen ut & isti ex communi lege, in ea postrema catastrophe moriantur, antequam pristinae luci una cum aliis redditi, iudicium subeant. Quid nisi itaque generali illo incendio rapiantur, quibus alia tunc nulla repentinae mortis accidit causa?

Postremus generalis huius incendii effectus erit, ex mente quidem Doctoris Angelici, vindicta de impiis fumenda post iudicium. Quidquid enim ex igne deflagrationis residuum erit, post peractum iudicium, Angelico ministerio colligetur, eoque damnatorum hominum multitudo involvetur; eisdemque iactu in ignem inferni præcipitabitur: iuxta illud Matthæi 13. v. 49. Exhibent Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Quapropter ista deflagratio, ut idem observat Doctor Angelicus, in Supplemento quæst. 74. art. 7. quoad purgationem mundi, iudicium præcedet; sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, iudicium sequetur.

V. Hæc de signis, Christi ad iudicium venturi prænunciis habet, partem ex sacrarum Scripturarum reificatione, certissima; partem ex Sanctorum Patrum, probatorumque Scriptorum sententia, receptissima. Cætera quæ sub ementito D. Hieronymi nomine circumferuntur, nulloque illius iudicato loco, a D. Thoma describuntur, quæst. 73. Supplementi art. 1. non modo utilitatis plena sunt, parumque verisimilitudinis habent, iudice ipso Doctore Angelico; sed spuria plane sunt, apocrypha, commentitia, ab Hieronymo nusquam somniata. Ea tamen lectorum oculis fisco, ne quid indictum relinquant, quod ad eruditionem utcumque conducatur; non ut illis fides addatur aliqua.

Quindecim signa sunt præcedentia iudicium. Primo die, maria omnia exaltabuntur quinde-
Serry Tom. III.

cim cubitis supra montes. Secundo die, omnia æquora prosterentur in profundum, ita quod vix videri poterunt. Tertio die, redigentur in statum antiquum. Quarto die, bellæ omnes, & alia quæ moventur in aquis, congregabuntur, & levabunt capita super pelagus, more contentio-nis invicem mugientes. Quinto die, omnes volucres Cæli congregabuntur in campis invocem plorantes, non gustantes aliquid, nec bibentes. Sexto die, flumina ignea surgent, contra firmamentum ab occasu solis, usque ad ortum corruentia. Septimo die, omnia sydera errantia & fixa, ex se spargent igneas comas, sicut cometa. Octavo die, erit magnus terræ motus, ut omnia animalia prosterantur. Nonno die, omnes plantæ sanguineum dabunt rorem. Decimo die, omnes lapides parvi & magni dividuntur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. Undecimo die, omnes colles, & ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo die, omnia animalia venient ad campos de sylvis, & montibus, rugientia, & nihil gustantia. Decimo tertio die, omnia sepulcra ab ortu Solis usque ad occasum patebunt cadaveribus, ad resurgendum. Decimo quarto die, omnes homines de habitaculis recedent, non intelligentes, neque loquentes, neque discernentes. Decimo quinto die, omnes morientur, & resurgent cum mortuis longe ante defunctis.

Quæ omnia, paucis sub initium immutatis, a Lirano etiam referuntur, ad Caput 21. Lucae, & a Petro Comestore in Historia scholastica: addita tamen Censura, & apocrypha: nota: ut & hinc noveris, nullam illis esse fidem adjuendam. Laudatur quidem a nonnullis, Eusebii Emisiani Homilia, in Dominicam secundam Adventus: Ubi signa illa toridem, & tacito tamen Hieronymi nomine referuntur, tanquam ex Iudæorum Annalibus descripta. At nec Eusebii est Homilia illa, sed Scriptoris admodum recentioris; nec ullam signis illis fidem adiungit, tametsi nulla ex parte repugnare putet: Nos tamen iis quidem auctoritatem non damus: ideo vero scriptissimus, quia Evangelii verbis convenire videntur.

EXERCITATIO LXX.

De Christo Domino ad Iudicium procedente: ac præsertim de forma, de loco, & hora.

I. DE proludiis, signisque postremi iudicii, ea in superioribus Exercitationibus diximus, quæ cum summe necessaria viderentur, præteriri a nobis nec poterant, nec debebant. Nunc ad rem ipsam quæ est in manibus accedendum. Tot prodigiis attonito mundo datis, tamquam submissis, Divinæ iustitiæ apparitoribus, venit e Cælo Iudex, qui primum Redemptor advenerat, mortuosque ad subeundum iudicium excitabit. Quo apparatu, qua specie, qua forma, quo loco, quæve hora sit proditura; non una levissime, sed gravis omnino, multiplexque quæstio est, quæ Theologorum industriam desideret, & laborem: nosque brevi ista exercitatione pertractabimus.

II. Suum ipse apparatus describit sæpenumero Christus Dominus, dum venturum se dicit, in nubibus Cæli, cum potestate & maiestate, in gloria patris sui, cum Angelis suis, Matthæi 16. 24. 25. 26. Marci 13. Lucae 21. Quocirca illud statim animam pulsat: num potestatem illam, maiestatem, & gloriam, adhuc etiam Angelorum suorum comitatum palam hominibus explicabit, aut suo veluti sinu continebit, occultabitque: eo ferme modo, quo suscitatus ipse olim a mortuis, corporis sui gloriam, Discipulis

lis convertantibus, contuentibus, adhuc etiam tangentibus occultabat? Idque maxime propter reprobos, quos perinde ac iustos iudicaturus veniet; qui tantæ majestatis & gloriæ contuendæ indigni sunt, quæ vel una beati possent.

Ad quod istud habeto responsum ex Augustino: Christum non humana duntaxat forma; etque gloriosa ad iudicium processuram, quæ de re ambigit nemo; sed & hæc ipsam Universis explicaturam, facturamque conspiciam; ut eam boni simul & mali conspiciant. *Videbunt eum mali, secundum formam quæ filius hominis est; sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est, Lib. 1. de Trinitate Cap. 13.* Hujus quoque rei testis est Hieronymus in Cap. 17. *Matthæi, Christum olim in monte Thabor, spectantibus selectis Apostolis Transformatum inquam, in eam gloriam, quæ venturæ est postea in Regno suo: utique conspiciam circumstantibus, imo ut ab ipsis conspiceretur. Quin & Christus ipse, dum se cum potestate, gloria, majestatem, venturam ad iudicium dicit; id ipsum visuros Judæos, suos olim accusatores & condemnatores, subjungit, Matthæi 26. v. 64. & Marci 14. v. 62.* Idque minus vere, nisi hæc ipsam majestatem & gloriam ipsi quoque in iudicio visuri essent. Nec idcirco augusta illa verendaque glorificata humanitatis specie beati fiunt, sed verus miser: quia spiritalem in illis delectationem, gaudiumque non excitabit, sed timorem ingentem animique perturbationem; nec divinitatem ipsam Christi Domini, mente conspicient, quæ sola sine ingenti gaudio videri non potest, solaque videntes facit beatos. *Cum boni & mali visuri sint iudicem vivorum & mortuorum, procul dubio eum videre non poterunt mali, nisi secundum formam quæ filius hominis est; sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Ceterum illam Dei formam, in qua æqualis est Patri, procul dubio impii non videbunt. Non enim sunt mundi corde. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videntur. Augustini verba sunt loco jam appellato.*

III. Quid ergo, inquit forte mihi, Augustinus Sermone 75. de diversis, Christum dicit, in forma servi venturum iudicare vivos & mortuos? Hanc igitur solam Hominiibus iudicandis; ac potissimum impiis explicabit. Ita sane in forma servi venturus est Judex, & servi formam hominibus exhibebit. At qualis tu Theologus es, qui hoc nescias, humanam Christi naturam, etiam gloriosam, & quantacumque (post ejus ad vitam redditum, ac ipsum etiam in Cælos ascensum) gloria, majestatem, potestate donatam a Deo, servi perinde formam esse; si cum divina natura, a qua totum est quod obtinuit, conferatur. *Per hanc formam, inquit Sanctissimus Doctor, immortalis mortuus est, quia crucifixus est, & sepultus. Per hanc formam servi, Rex seculorum die tertio resurrexit. Per hanc formam servi, visibilium & invisibilium creator ascendit in Cælum, unde nunquam recessit. Per hanc formam servi sedet ad dexteram Patris, qui est brachium Patris. De quo dicit Propheta, & brachium Domini cui revelatum est? In hac forma servi venturus est iudicare vivos & mortuos, in qua particeps esse voluit mortuorum, cum sit vita vivorum. Viden ut servi formam in Christo Domino perinde vocitet Augustinus, humanam illius naturam, etiam suscitata a mortuis, etiam ascendente in Cælum, etiam sedentem ad Patris dexteram, adhuc etiam ad iudicium, dum potestate ac majestatem venientem? Nec immerito sane. Forma quippe servi, non humilem humanæ naturæ conditionem significat, sed naturam ipsam humanam, quæ quantumvis glori-*

ficata & exaltata in Christo Domino, forma tamen servi manet, comparatione formæ Dei, hoc est, naturæ divine. Quod satis significavit Aristoteles, ad Philip. II. ubi utramque formam, & servi, & Dei Christo Domino tribuens, priorem non ex ratione probat, quod ille infirmus primus esset, atque ingloriosus, sed quod simpliciter homo: in similitudinem, scilicet, hominum factus, & habitu juvenis ut homo. Et prima ad Corinthios Cap. 15. v. 28. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Hoc est, cum omnia subiecta erant Christo Jesu, filio Dei, tunc scilicet post sæculi presentis consummationem, & in beata æternitate, cœlestique gloria, ipse filius secundum dispensationem carnis assumptæ, seu quatenus homo est, permanebit nihilominus Patri subiectus; quia in eo forma humana mansura est, quæ semper minor est Patre, quantacumque gloria donata sit. Quæ Augustini interpretatio est lib. Octoginta trium Questionum, quæst. 69. & lib. 2. contra Maximum Arianum Cap. 18. ac etiam Divi Hieronymi lib. 1. Dialogorum adversus Pelagianos.

Quo loco, erudito cuique pensandum relinquo, an perinde Theologorum iudicio bene sonet propositio ista, die Dominicæ Resurrectioni sacro pronuntiata, quæ Rhetorum auribus sat bene tenuit? *Homil. de Resur. Hodie forma servi reversa est in formam Dei; & inanis humilitatis, ad pristinae altitudinis rediit majestatem.* Profecto quamquam non de interna hominis forma, seu natura locutus sacer Orator existimetur, quam in divinam naturam conversam dixerit: (sic enim in Euty-chianam hæresim aperte prolapsus esset, quod abfit a nobis suspicari;) sed de externa duntaxat forma, seu mortali abjectaque humanæ naturæ conditione locutus certo credatur; quam in gloriosam conversam significare voluerit: in hoc tamen ab Augustini, imo & ab Apostoli Theologia procul abscedit; quod hæc ipsam mortalem humanæ naturæ conditionem, in gloriosam commutatam, servi formam appellet, in Dei formam, sua ipsius Resurrectione reversam: Quasi vero, iudice Augustino, iudice Apostolo ipso, non perisset maneatque semper servi forma, quantumvis glorificata, exaltata, triumphans?

IV. Sed ut a diverticulo repetatur oratio, curiositatem excitabit aliquanto majorem, quæ proximè sequitur quæstio, de loco, in quem Christus supremum iudicium futurus descendet, Gentisque universas Vadimonium obituras congregabit. Vallem Josaphat ferme omnes existimant, quæ Jerosolymam inter, & montem Oliveti, ad orientalem Templi partem sita est: tamen unde hoc illi Josaphati nomen adhererit, non omnino consentiant. Aliis nomen simpliciter appellatum esse existimantibus; quod Josaphat hebraice iudicium Domini sonet. Aliis ab immensa molis ædificiis, illic olim a Rege Josaphato constructis, derivatum nomen opinantibus: quæ de re nihil sacris in litteris legere est. Aliis ab ejusdem sepulcro, quod illic extet, appellationem derivantibus: falso tamen, cum Josaphat in Civitate David, hoc est, in monte Sion, intra Urbem Jerusalem sepultus legatur, II. Paralip. Cap. 21. v. 1. Aliis demum ab insigni victoria quam de Ammonitis, Moabitibus, & Idumæis ibidem retulerat Josaphatus; cujus mentio fit lib. II. Paralip. Cap. 26. Inconspicite tamen, & ignoranter: cum vallem illam, in qua prælium commisit piissimus Rex, non a proprio nomine appellatam voluerit; sed vallem benedictionis, a divino beneficio sibi prestitum nuncupaverit, ut legitur v. 26. Eaque ipsa vallis, in qua commissum est prælium, longe ab

Jerosolymis sita esset, nempe in Asajonbamar, quæ est Engaddi, ut habetur v. 2. in Tribu Juda, juxta mare mortuum.

Equidem si rationes congrui pensamus unice, quæ rem utcumque verisimilem faciant, non omnino repugnaverim, exercendum in ea Josaphati valle, extremum & universale iudicium; unde cumque vallis illa nomen accepit. Quid enim humanæ rationi, de sacris arcanis, ex solo Dei nunc pendentibus iudicanti, secundum speciem congruat magis, quam illuc secundo de Cælo Christum descendere, unde ascendit in Cælum: ibi iudiciaria potestate defungi, ubi nascendo, conversando, patiando, moriendo, iudicandi potestatem obtinuit: rectam in homines sententiam ferre, ubi iniquam ab hominibus sententiam tulit: effusi sanguinis fructum repetere, ubi sanguinem fudit: opus denique suum ibi ultimo consummare, ubi ejusdem exordium, progressus, adhuc etiam exitus fuit? At si momenta Scripturarum, Patrumque suffragia quarimus, quæ rem nobis certam faciant, atque indubitatum; nulla profecto succurrunt: ut propterea a Doctore Angelico relictissime dictum sit, non posse id multum per certitudinem sciri. In Supplemento quæst. 88. art. 4. in Corp.

V. Totum ex Joelis propheta, facti hujus criterium pendet Cap. 3. v. 2. *Congregabo omnes gentes; & deducam eas in vallem Josaphat: & discipabo cum eis ibi, super populum meo, & hereditatem meam Israel, quos disperserunt in nationes, & terram meam dispererunt.* Et v. 11. *Erumpite & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos suos. Confurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebat, ut iudicem omnes gentes in circuitu.* At quamquam per allegoriam, (ex qua certa & indubitata probatio nunquam ducitur) ad extremum iudicium hęc postquam oracula illa, & cætera quæque, toto illo Capite a Joelle prænuntiata: quod Hieronymus & Hilarium fecisse videtur: ex proprio tamen & nativo litteræ sensu, ex quo uno certam probationem Theologi ducunt, de extremo iudicio dicta esse, non constat; ut in valle Josaphat exercendum demonstretur. Imo ex nuda simplicique sacri oraculi lectione perfectum est, loqui ibi Prophetam de iudicio a Deo exercendo, in eas Nationes ac Gentes, quæ Israeliticum populum dispererant, Judæamque diviserant: de quibus vindictam sumere statuerit Deus, ingenti illis illata clade, ac prodigiali vastatione. Quæ res nihil cum extremo iudicio commune habet, nisi illo per figuram & allegoriam trahere velis. Ac sic quidem Ecclesiæ Patres, probatique Scripturarum Interpretes intellexerunt.

S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Rufinus, alique nonnulli locutum Joelem existimant, de iudicio a Deo faciendo, seu de vindicta a Deo sumenda, de Gentibus, quæ Judæos tam male mulctarant in Captivitate Babylonica; quæque subinde, ut ædificatum rursus altare, & sanctuarium inaudire, Judæos iterum vexare, ac de medio tollere cogitabant: quas omnes Judæ Machabæi ministerio delevit Deus atque contrivit, ut legitur lib. I. Machabæorum Cap. 5. Hoc enim est, ex Scripturæ phasi iudicare gentes, delere illas, conterere, subjugare. *Ecco filii Ammon, & Moab, & mons Seir nituntur ejicere eos de possessione, quam tradidisti nobis: Deus noster, ergo non iudicabis eos?* II. Paralip. Cap. 20. v. 10. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.* Psal. 34. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Psal. 109. Quare quod ait Joelis Cap. 3. *Congregabo omnes gentes, idem est, ac congregari permittam, ut iudicem seu delectam congregatas: quodque addit, erumpite & venite omnes Gentes de circuitu; confurgant & Serry Tom. III.*

ascendant, insultantis & provocantis vox est, in contemptum atque derisum, ut laudati Patres exponunt. At nihil hic ad extremum mundi iudicium.

Alii, in quibus sunt Joannes Mariana, & Gaspar Sanctius, locutum Joelem arbitrantur, de iudicio a Deo faciendo, seu de vindicta a Deo exercenda in Afsyrios Judam invadentes, dum Angelico ministerio, centum octoginta quinque hominum millia occisa sunt; in Castris Sennacherib Regis Afsyriorum, ut est lib. IV. Regum Cap. 19. & lib. II. Paralipomenon Cap. 32. Quod quidem, ut juxta Jerusalem factum est, nil vetat in valle Josaphat contigisse.

VI. Unum allata priori interpretationi repugnare videbitur: alterum utriusque. Priori inquam videtur obstare, quod soluta Captivitate Babylonica, longe ab Jerosolymis delatæ contritaque sint Gentes, Judæis infestæ; atque ita non in valle Josaphat, Jerosolymis proxima atque contigua. Utriusque vero interpretationi obesse videtur, quod nec tunc quidem, nec in deletione exercitus Sennacherib, sol & luna abstinebrati sint, nec stelle retraxerint splendorem suum: quod tamen in eo de quo loquitur ferendo iudicio eventurum, variatissimus est Joel, v. 15. Minus tamen ista repugnant. Non primum: Quia Joel vallem Josaphat dixit, nomine appellativo, vallem iudicii Domini simpliciter significantem, quævis tandem illa sit, non nomine proprio, peculiarem illam vallem, quæ nunc vocem illam obtinet, denotante. Unde quam vallem Josaphat vocat Joel v. 2. & 12. Vallem concisionis semel iterumque nuncupat v. 14. quod illic coincidentia sint gentes: quo nusquam nomine vocata est illa, quæ Jerosolymam inter & montem Oliveti, sita est: Nec etiam repugnat alterum: quia, ut prudenter Maldonatus observat, est illa Prophetis familiaris figurata loquendi formula, ut solem, lunam, ac stellas obcurandas dicant, in magnis calamitatibus; ut verum omnium perturbationem, confusionemque significant: quod multis liquet exemplis: Isaïæ Cap. 13. v. 9. Cap. 34. v. 4. Jeremiæ Cap. 15. v. 9. Amos Cap. 8. v. 9.

Sed etsi daremus, Joelem de extremo & universali iudicio, ex certa mente, certa que sententia dixisse, hoc ipso quem expendimus loco; non illico certo atque indubitanter colligendum, in ea ipsa valle peragendum esse, quæ Jerosolymam inter & montem Oliveti sita dicitur, cui & nunc Josaphati nomen adheret. Tum quod certo non liqueat, Prophetam vallem Josaphati nomine proprio nuncupasse, singularem aliquam vallem designante: ac non potius nomine simpliciter appellativo dixisse: *vallem iudicii Domini* (quæ vis vocis illius est) generatim & indifferenter significantem. Tum quod istud aliud perinde non constet, vallem Jerosolymæ & Oliveto interiacentem, Joelis ætate, Josaphati vallem fuisse dictam, ut hæc ipsam voce illa designare potuerit Propheta sanctissimus. Imo si bene conjicio, non nisi diu post Christum, hoc illi nomen, præoccupata opinione, ab iis inditum est; qui cum postremum iudicium illic peragendum opinarentur, Josaphati vallem pro arbitrio vocitarunt; quæ non nisi vallis Cedron, Josephi adhuc ætate vocabatur, a torrente scilicet, quo dicitur irrigari: ut videre est lib. 6. de Bello Judaico Cap. 6.

Sic igitur eliso Joelis oraculo, nullo jam certo Scripturarum documento liquet, Christum in eam vallem Jerosolymæ & Oliveto interiacentem descensurum, ut supremum illic iudicium exerceat. Quod enim, ut illud adstruant, perique subiungunt: Christo ex monte Oliveti in Cælos assumpto, Angelos suspicientibus Apostolis dixisse: *V-*
Kk 2

vi Galilaei quid stans aspicientes in Caelum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in Caelum: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Caelum. Act. Cap. 1. v. 11. Id inquam leve omnino est, nec Christum circa illum locum rediturum e Caelo probat, unde ascendit in Caelum. Nihil quippe de loco, unde ascensus factus est, dicitur ibi, sed de modo duntaxat, quo Christus in Caelum triumphator ascendit: *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: v. 9. idque unam significatur: venturum quoque illum, in eum plane modum; nimirum majestate praeditum, in nubibus Caeli, hominibusque suspicientibus: juxta quod Matthaei 24. v. 30. dictum est: Videbunt filium hominis, venientem in nubibus Caeli, cum virtute multa & majestate.*

Mitto trigessimum tertium Canonem Arabicum Concilii Niceni, quo honoris quaedam praerogativa Episcopo Hierosolymitano decernitur, tanquam residentis in sancta Civitate, ubi est locus iudicii. Nemo quippe est criticae scientiae peritus, qui Canones illos, a Francisco Turriano, de Arabico in latinum verfos, tanquam spurios & apocryphos, ad quietas non amandet. Quamquam & illud addi potest, Canonum illorum confarctorem, quisquis tandem ille sit, Hierosolymam locum iudicii dixisse; non utique postremi, quo Christus de vivis & mortuis, sub finem saeculi iudicabit; sed prioris, quo mundum in Cruce moriens iudicavit. Ita quippe Christi Domini mors, mundi iudicium dicitur, sacris in litteris, Joannis Cap. 12. v. 31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras: & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans quia morte esset moriturus.*

Quanam itaque valle, inquiet aliquis, quoque loco, extremum iudicium peragetur? Respondeo, certi nihil ea de re statui posse. Illud tantum affirmare auiam: nec Josaphati vallem Hierosolymis & Oliveto interjacentem, nec Judaeam qua late patet universam, (est siccatas fluminibus, montibusque solo aequatis, complanaveris omnia) integram illam hominum, qui fuerunt usquam, erantque deinceps, multitudinem capere posse: nisi facta divinitus humanorum corporum penetratione. Ceterum quemvis in locum, Christum Dominum venturum ponas, ad iudicium faciendum; illum pro certo habeto: non in terram usque, solumque descensurum, sed sublimem illic mansurum in aere; atque in nube splendidissima, quasi in excelsis ac pendulo trono sessurum. Quod diserte notat Apostolus II. ad Thessal. 4. v. 16. *Iustos tunc in aera rapiendos inquam, ut Christo iudici obviam occurrant, sintque cum illo semper: Minus profecto congrueret, nisi & ipse sublimis in aere, toto iudicii tempore futurus esset, ut & commode conspici possit.*

VII. Reliquum modo est, ut de hora, qua ad iudicium processurus est, difficultatem expediamus. Horam intelligo, non individuum: si enim diem & annum scire impossibile est, quanto minus individuum horam? Sed horam, ut sic loquar, specificam intelligo: quotam scilicet qualicumque diei iudicium fiet: diurnam ne, an nocturnam; vespertinam an matutinam? Nam & hoc queri a curiosis Scriptoribus video. Meo tamen iudicio imprudenter ac temere: cum & hoc quoque mortalibus ignotum esse voluerit Christus Dominus, Marci 13. v. 35. *Nescitis qua hora Dominus veniat: Sero an media nocte, an galli cantu, an mane. Et Lucæ 12. v. 40. Quis hora non putatis filium hominis veniet.* Quapropter quæ factis in litteris quandoque notantur horæ nocturnae iudicis obvenerit: ut I. ad Thessalonicenses

5. v. 2. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Matthaei 25. v. 6. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit;* morali sensu fumenda veniunt, ut adventus illius incertum denotetur, summaque ejusdem apud omnes homines ignotatio. *Non tunc veniet cum speratur, sed media nocte, cum valde obscurum, id est, incertum erit, an veniat:* inquit D. Augustinus Epist. 120. ad Honoratum Cap. 34. *Cui nec adversari putandus est S. Joannes Chrysostomus Homil. 79. in Capite 25. Matthaei, Christum ea loquendi formula ufum inquam, in parabola Evangelica, ut in nocte futuram resurrectionem ostenderet. Noctem enim ipse etiam intelligit, incertum ignotumque tempus indicenda ad postremum iudicium Resurrectionis; non distinctam illam naturalis diei partem. Ut fiteam toto terrarum Orbe, ubi simul futura est Resurrectio, noctis medium simul esse non posse.*

Unus tota retro antiquitate adversatus est Lactantius Firmianus, Crispi Caesaris filii Constantini, in summa senectute praceptor; Christum intempesta nocte ad iudicium proditurum scribens lib. 7. Divinarum Institutionum Cap. 19. *Tunc aperietur Caelum medium, intempesta & tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendens Dei tanquam fulgur appareat:* quod Sybillini carminis auctoritate confirmat; & prioris adventus exemplo, tenebrosa & intempesta nocte peracti. At ut est fluxa & apocrypha Sybillini versus auctoritas, ita frivola ratio ab exemplo ducta. Quid enim necesse est media nocte venire iudicem, quod media nocte Redemptor advenit? Imo ut est utriusque adventus conditio dispar, prior quidem obscurus & humilis; alter manifestus, totaque majestate conspicuus; diverso quoque tempore videntur celebrandi: si tamen arcana ista humana ratione metiri liceat. Sed silere ea de re factus est, quam temere dicere. Illud liquet unice: Scripturam sacram postremi iudicii horam, interdum nocturnam dicere, 2. ad Thessal. 5. v. 2. & Matthaei 25. v. 6. ut incertam illam nobis, ignotamque significet: quandoque vero manifestam, Joannis 3. Actor, 2. I. ad Corinth. 3. ut futuram tunc animorum & cordium manifestationem ostendat: nusquam tamen, ut distinctam aliquam diei naturalis partem, qua iudicium peragendum sit, designet ac notet.

EXERCITATIO LXXI.

De Christo iudice, mortuos ad iudicium excitante.

I. **P**rima Christi Domini ad iudicium venientis actio, mortuorum excitatio erit; qua iudicariam potestatem incipiet exercere, vocatis in jus hominibus universis, ac vadimonium per se se obire iussis. De ea disputari tam multa possunt, ut si velimus omnia, non una nos exercitatione expediemus, sed multis admodum detinebimur. Quare quæ potissimum sunt, nostrae congruunt institutio, unice pertractabimus: aliis longe missis, quæ Theologos de Schola, spinis ac verpetis harere solitos plus satis exercent. A principio quaestio illa in medium veniet: sint ne perinde mali omnes ad iudicium a mortuis excitandi? De bonis enim ante defunctis nemo ambigit. Sequetur e vestigio altera: qua quique atate, qua futura, quo sexu sit surrecturus? Succedet subinde tertia: quo temporis intervallo, quoque ordine resurrectio fiet? Quarto loco id quaeremus: quibus administris & instrumentis, mortuorum excitatio fiet? Postremo, quo situ, & ordine, ante tribunal iudicis constituentur universi; antequam causa eujusque cognoscatur, feraturque sententia?

II.

II. De malis igitur ad iudicium excitandis ut dicantur Ordine primo: dedit ea de re dubitandi occasionem varia Resurrectionis acceptio, sacris in litteris. Cum enim eo nomine, reditum ad vitam omnes intelligant; quæ tamen non est una, sed gemina; felix una, altera misera: quo titulo vitam miseram, non proprie vitam dicimus, sed miseriam: (illud enim est vivere, esse felicem) ita ad miseram vitam reditum, Resurrectionem esse, interdum negant sacra litteræ; mortemque secundam appellant: Apocalypsis 2. Hinc frequenter ille Prophetarum loquendi formula: Psal. 1. v. 5. *Non resurgent impij in iudicio, Isaia 26. v. 14. Mortientes non vivant, gigantes non resurgent.* Cap. 43. v. 17. *Obdormierunt, nec resurgent.* Hinc & larga illa novi Testamenti promissa, quæ iustis duntaxat futuram Resurrectionem spondent: Joannis 6. v. 40. *Hec est voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. v. 55. Qui manducant meam carnem, & bibunt meum sanguinem, habent vitam eternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ad Romanos 6. v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Quibus id significatur unice, iustos solos, non itidem impios, ad beatam vitam, quæ sola vere vita est, surrecturos. Quamquam tamen si resurrectionem simpliciter species, ut nova Corporis & animæ conjunctio est; vitamque naturalem consideres, & presentis lucis usuram; tantum abest, ut ad vitam impios redituros negent sacra litteræ, ut potius luculenter affirmant: Danielis 12. v. 2. *Multi de his qui dormiunt in terra pulvere evigilabunt; alii in vitam eternam, & alii in opprobrium.* Actorum 24. v. 15. *Spem habeo in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum.*

Vocis hujus sensum accipiem fixit Christus ipse, & quam quique resurrectionem fortientur, iusti pariter & injusti, aperte distinxit, Joannis 5. v. 28. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vite; qui vero mala, in resurrectionem iudicii.* Fecerant hoc idem Martyres Machabæi, impium Antiochum alloquentes lib. 2. Cap. 7. *Rex mundi defunctus nos pro suis legibus, in aeternae vite resurrectione suscitabit. . . tibi autem ad vitam resurrectio non erit.* Quibus ostenditur, impios æque ac iustos a Domino suscitandos esse; at istos quidem ad felicitatem aeternam obtinendam, illos ad sempiternum iudicium ac supplicium subeundum. Et certe tota extremi iudicii historia Cap. 25. Matthaei recitata, id palam evincit. Si enim a mortuis excitabuntur, qui ad Christi tribunal congregabuntur, ejusdemque sententiam sustinebunt: congregabuntur autem & impii, sustinebunt & impii, hædorum nomine designati: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statet oves quidem a dextris suis, hædas autem a sinistris. . . . Tunc dicit & his qui a sinistris erunt, discedite a me maledicti in ignem æternum.* Apostolus quoque 2. ad Corinthios Cap. 5. v. 10. *malos perinde ac bonos generali phrasi complectitur: Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut reserat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Cui nequaquam adversatur quod superiori Matthaei capite dicitur, v. 31. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, & a summis Cælorum, usque ad terminos eorum: quasi electi soli sint congregandi, atque ita soli sint a mortuis excitandi.* Sed primam in congregandis electis, Angelorum curam ostendit, ut & ipsi primum venienti iudici obviam procedant.

III. Nec te moveat, quod Christus Lucæ 20. v. 36. & Paulus I. Corinth. 15. v. 16. futuram resurrectionem iis momentis ac rationibus probent, contra Saducæos, quæ in solos iustos cadant, non item injustos: *Equales Angelis sunt, inquit Christus, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Et Paulus: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris: Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.* De beata quippe resurrectione quaestio potissimum vertebatur; in qua iusti laborum suorum præmium, & Regni Christi participationem expectant; qualem Prophetæ & Christus fidelibus depromiserant; ut illos in tot tantisque presentis vite miseris solarentur. Quid itaque mirum si iis momentis ac rationibus pugnet? At ubi de Resurrectione in universum sermo venit, rationem a divina iustitia petunt; quæ hominum etiam corpora, debitis seu pœnis, seu præmiis velit afficere: quod fieri absque illorum resurrectione non potest.

Moveat te longe minus Lactantii Firmiani auctoritas lib. 7. Divinarum Institutionum Cap. 21. scribentis: *Dum tempus adveniet, quo maximus iudex meritum faciet examen; tum quorum fuerit probata iustitia, ii præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata & scelera detecta, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia damnati.* Et hic enim Divinarum Scripturarum stilo usus, beatam Resurrectionem, quæ ad vitam & felicitatem aeternam est, Resurrectionem simpliciter dicit, negatque impiis: alteram tamen quæ ad supplicium futura sit, tantum abest ut neget, ut adstruat potius, momento (quemadmodum Christus & Paulus) a divina iustitia petito; hoc ipso in Capite: *Docent nos Sacra Litteræ: quemadmodum pœnas impiis sunt laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus pœnalem solvant. Et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superinjecerit, huic terrena similis, sed insolubilis ac permanens in æternum; ut sufficere possit cruciatibus, & igni sempiterno, cuius natura diversa est ab hoc nostro, quæ ad vitam necessaria utitur, qui nisi alicujus materie sonite alatur, extinguatur.* Quod notatis ad marginem Christi & Apostoli dictis confirmat, Joannis Cap. 5. II. ad Corinthios 15.

IV. Sed quando Scripturarum oracula, de impiorum Resurrectione, quam videntur inficiari, explicare, rectumque in sensum inlectere conati sumus; juvat hic obiter adnotare, quam inutiliter ingenium torqueant perique de Schola Theologi, ut celebratum Regii vatis oraculum, Psalmo 1. v. 5. *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum, in rectum sensum inlectant; ne catholico dogmati, de impiorum quoque Resurrectione, repugnare censatur: quod si intimus, atque ex critica scientie legibus perpenderit, alienum vidissent ab instituto; & ad presentem quaestionem, de impiis ad extremum iudicium surrecturis, centum jugis boum colligatis, trahi non posse, facillime comperissent.* Neque enim aut de extremo iudicio, aut de extrema Resurrectione loquitur Regius vates, sed de re toto Cælo diversa. Nempè alludit ad duo Judæorum tribanalia, seu verius ad duas supremorum iudicum curias, a Judaica Republica constitutas, in quibus privatorum causæ cognoscebantur. Prior iudicium de more dicebatur, constabatque iudicibus viginti tribus, minoreque causas cognoscebat: Altera concilium vocabatur; iudicibus stabat septuaginta duobus, summa iustitia laude florentibus; causasque majores iudicabat.

Quare in utrumque tribunal intendens Regius vates,

tes, ait, impios, si forte ad ea provocentur, causa casuros; imo nec auferos coram illis stare, erigere se se, aut caput attollere. Id enim illic sonat verbum *resurgere*, juxta hebraicum etymon. In utramque tribunal intendit perinde Christus Dominus, loco illo percelebri Matthæi 5. qui facris Interpretibus, Judæorum usus nescientibus crucem figit, dum inquit: *Omnes qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quasi diceret: Qui irascitur fratri suo, quæ minor culpa est, dignus erit ea minori pœna, quæ in eo tribunali solet infligi; quod iudicium nuncupatur: qui dixerit fratri suo *raca*, quod convicii genus est, ea majori pœna dignus erit, quæ ab eo infligitur Tribunali, cui *concilium* nomen est: qui autem dixerit *fatue*, quod convicium est maximum, summa omnium pœna, ignis scilicet dignus erit. Quid id porro ad præsentem, de impiis ad supremum iudicium surrecturis, controversiam, ut quidpiam in partem alteram colligatur? Quia autem ad portas Civitatum Tribunaalia constituebantur, in quibus iudicia exercerentur: Unde est illud Proverbiorum 32. v. 23. *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit, cum Senatoribus terre:* in eum perinde morem alluditur Psal. 126. de viro iusto dum dicitur: *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta:* hoc est, non confundetur, dum in iudicium vocabitur ab inimicis, & ad tribunaalia tra-ducetur.

V. Quamquam quid hæc moror? Quæ proxime sequitur quæstio, qua quisque ætate, qua statura, quo sexu sit surrecturus, difficultatem habet longe majorem, ex Apostoli verbis enatam ad Ephesios 4. v. 13. *Donoc occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Mirum quam multi eo ludantur oraculo, ut fin minus homines univeros, at saltem electos omnes, ea ætate corporifque plenitudine surrecturos existiment, qua fuit Christus ipse, dum a mortuis resurrexit: quin etiam sexu virili, utpote perfectiori, ipsis quoque mulieres surrecturas. A quo tamen sensu procul abesse Apostolus, aliud longe agens, quam quod a perisque creditum est. Loquitur enim vero de spiritali profectu & plenitudine mystici Corporis Christi, Ecclesiæ scilicet, quoad fidem, & fidei unitatem: ita ut evasura sit aliquando in virum perfectum; id est, virile robur, atque constantiam fidei assecutura, tanquam mensuram plenæ & perfectæ ætatis. Quasi dicat Apostolus: Tandiu durabit ministerium sacrum, a Christo Domino institutum, (de hoc enim vericulis antecedentibus sermo est) tandiu ministrorum labor exercendus erit, donec perveniamus omnes, seu donec perveniant omnes electi, ad ejusdem fidei, & agnitionis Dei unitatem; & ita proficiamus in fide per dilectionem operante, ut virile robur atque constantiam in ea assequamur, tanquam mensuram perfectæ plenæque ætatis mystici Corporis Christi. Hunc Apostoli sensum reddunt ex antiquis S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 18. & sermone 4. Fertæ tertæ post Pascha, S. Ambrosius lib. 2. in Lucam, S. Hieronymus, S. Joannes Chryso-stomus, Theophylactus, Ecumenius, Ambrosiaster, Haymo Alberstatis, in hunc ipsum Apostoli locum: ex recentioribus vero, Estius, Cornelius a Lapide, Alexander, cujus hic verba descripsi. Quare eo misso Apostoli dicto, nihil ad rem quam hic agimus, faciente, aliunde nobis resurgendum ætas, statura, sexus querenda sunt.

VI. Ac de ætate quidem, si preesse loqui veli-

mus & accurate, ineptam puto quæstionem; uti dum queritur, qua ætate creatus sit primus homo? Cum enim sit ætas certum cujusque vitæ spatium, seu præterita duratio viventis, ut Schola loquitur; quæ tam absurdum, quam querere, qua ætate sit conditus Adam, qui nulla ætate conditus fuit; nullumque, cum primum e conditoris manibus prodiret, vitæ spatium emensus erat? Quid tam futile, quam inquirere, qua quisque resurget ætate; qui non alia resurgere potest, quam qua olim fuit in corpore? Nec enim efficere potest Deus, ut quæ fuere, non fuerint; utque qui mensam duntaxat vixit, annos vixerit multos; qui annos vixit centum, pauciores vixerit. Si tamen laxè loquamur, ætatem dicamus, non temporis spatium, quod quisque vivendo dimensus est; sed humani corporis statum, ex annis ipsis & ætate relicto, haud ita futile quæstio erit: quæ tamen nec ex Sacris Litteris, nec ex certa Patrum sententia decideri atque finiri potest, sed communi duntaxat suffragatione, probabilique ratione resolvitur.

Plenam resurgendum ætatem, seu verius plenum & integrum resurgendum Corporum statum, qualis seclis navis, hominibus esse solet, anno circiter trigésimo quinto, communis Patres agnoscunt, potissimum in electis, ad imitationem Corporis Christi, ea circiter ætate a mortuis redivi. Ita D. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 15. in Enchiridio ad Laurentium Cap. 90. S. Hieronymus Epist. ad Pammachium contra errores Joannis Jerosolymitani, & Epist. 27. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ, Prudentius in Apotheosi, Hugo Victorinus Tractatu de Resurrectione Cap. 15. Cujus hanc verisimilem rationem reddit Doctor Angelicus in supplemento, quæst. 81. art. 1. *Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ. Quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter: uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta: alio modo, quia jam ab ultima perfectione recessit. Et primo modo, deficit in pueris: secundo modo, deficit in senibus. Et ideo in utrisque deducitur humana natura, per resurrectionem, ad statum ultimam perfectionis, quæ est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, & a qua incipit motus decrementi.*

VII. Idem de Resurgendum statura pronunciant laudati Patres, probatque Doctor Angelicus: illos scilicet plena & integra statura surrecturos, quæ hominibus bene a natura constituta, annumque circiter trigésimum quintum assecutus, esse solet. Sic tamen ut non una eademque statura sit omnium: Sed ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juvenute, etiam si senex est mortuus; vel fuerat habiturus, si fuit ante desunctus: Quemadmodum loquitur Augustinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 15. utque pigmarum gigantumque mensura ad justam humani Corporis proportionem redigatur. Quod ratione pariter verisimili confirmat D. Thomas laudata quæstione 81. supplementi art. 2. *In resurrectione non reparabitur humana natura solum quantum ad idem speciem, sed quantum ad idem numero: & ideo in resurrectione non solum attendendum est, quid competat naturæ speciei, sed quid competat naturæ individui. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore: quæ tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, & non est accipiendum secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur, infra terminos illius latitudinis, aliquem gradum quantitatis, quæ competit naturæ individui; & ad hanc perducitur in termino aug-*

menti, si non fuerit aliquis error in opere nature, per quem sit aliquid additum vel subtractum prædictæ quantitati; cujus tamen mensura accipitur secundum proportionalitatem caloris extendentis, & humiditatis extendentis, quod non est ejusdem virtutis in omnibus. Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate, in qua fuisse in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset: quod autem superest, vel deficit in homine, refectabit vel supplebit divina omnipotentia.

Quæ tamen rationes Anglicæ, ad resurgendum statum ætatemque definiendam adductæ, in electis tantum vim obtinent, non item in reprobis; quos ratio nulla vel probabilis suadet, absque ullo naturæ defectu, erroreque esse surrecturos. De quibus aliunde cum nec laudati Patres, nec illi quod sciam quidquam scripserint; qua sint illi vel ætate vel statura a mortuis suscitandi, nemo nisi temere pronunciat: maxime si quos habere, dum viverent, corporis mæros; a quibus haud satis apparet, sint ne illis, resurrectionis beneficio liberandi.

VIII. Nunc de sexu quorumlibet Resurgendum, tam ecleorum quam reproborum, certa, constant, indubitataque definitio est, eodem sexu surrecturos univeros, quo fuere dum viverent. Ita summo consensu Patres: Terullianus lib. de Resurrectione carnis Cap. 10. S. Hieronymus Epistola ad Pammachium, & Epist. 27. ad Eustochium de obitu Paulæ, S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 17. S. Hilarius Can. 27. in Matthæum, S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Cap. 3. Auctor Quæstionum ad Orthodoxos, apud D. Justinum quæst. 53. D. Thomas in Suppl. quæst. 81. art. 3. Qui hoc idem ex Oraculo Christi colligit Matthæi 22. dicens: *In resurrectione mortuorum neque nubent, neque nubentur:* quo verbo futuram tunc sexuum distinctionem demonstravit. Nemo enim, ut observat D. Hieronymus, de Ligno & Lapide dixit, non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent. Sed de iis omnino dicitur, qui cum possint nubere, gratia Christi & virtute non nubent. Rationibus etiam evincunt plane decretois. Primo, quod utrumque sexum ab initio Dominus instituit, atque ita utrumque debeat restituere. 2. quod ad cuiusque naturam individuam suis pertinetat sexus; atque ita non possit absque sexu suo, sua cuique natura restitui. 3. quod ad corporis integritatem pertineant membra ipsa, sexuum diversitatem constituentia; nec possit idcirco sine illis integer homo resurgere. 4. quod ad individuam cuiusque rationem pertineat quantitas sexuum discretiva: adeoque non possit idem individuus homo; absque eadem quantitate sexueque restitui. 5. quod quorumdam merita vel demerita, ex sexus femine conditione consequantur; ut quod Maria Dei mater fuerit: quod sexus infirmitatem tot Virgines vicerint, pro fide & castitate fortiter dimicando; aut ex adverso, quod sextam tam multe inique ac turpiter prostituerint: Atque ita in hoc ipso sexu debeant vel merita vel demerita compensari. Veror tamen ut postrema illa ratio, in qua Theologi nonnulli delicias faciunt, satis urgeat. Sic enim perinde consequens foret, ut qui ex infantilis, aut senilis ætatis conditione, sunt merita consecuti, senili quoque & infantili corporis statu, habituque resurrecturi essent; ut illorum quoque merita compensentur. Quod tamen liquet esse falsissimum.

IX. Nullius porro negotii est momentis occurrere, quæ Armeni contrarium adstruere adnuntur. Potissimum ex Apostolo sumptum ad Ephesios 4. ubi omnes nos Christo obviam ituros ait,

in virum perfectum, in antecessum occupavimus: de spiritali Ecclesiæ profectu, deque virili robore atque constantia in fide, Apostolus interpretari. Quibus insuper addimus ex Augustino, hoc ipsum Viri nomen, non semper sacris in litteris masculinum sexum sonare, sed quandoque hominis speciem, utriusque sexui communem: ut Psal. 1. v. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Psal. 33. v. 9. *Beatus vir qui sperat in eo.* Psal. 83. v. 6. *Beatus vir cuius est auxiliium abste.* Psal. 111. v. 1. *Beatus vir qui rimet Dominum:* a qua certe beatitudine mulieres non accentur.

Alterum ex Divo Athanasio desumptum lib. de Virginitate, in Regno ecelorum nec marem, nec feminam esse affirmante; omneque sexum virorum ordinem accepturas, hunc sensum habet: feminas in æterna beatitudine, quantum ad animi perfectionem, donaque immortalitatis, eandem cum viris forem habituras; uti in hæc præsentis vita, eodem cum illis, quoad dona gratiæ, ordine censentur. Juxta quod ait Apostolus ad Galatas 3. v. 27. *Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus: non est servus neque liber: non est masculus neque femina: omnes enim unum estis in Christo Jesu.*

Tertium ex muliebri sexus imperfectione petitur, minus urget. Quasi vero ea qualicumque imperfectio æternæ felicitati repugnet; quemadmodum, & ætatem, & statum puerilem, quod imperfectæ sint; diximus repugnare. Quilibet enim sexus simpliciter perfectus est, unusquisque tamen in ordine suo; fatisque ad felicitatem est, si unusquisque ordinis sui perfectionem obtineat, etsi altera sit altera minor. Uti profecto unusquisque beatus est, etsi unus gloria sit minor alterius. Dispar autem puerilis ætatis est ratio. Puerilis quippe ætas ad virilem sic ordinatur; ut eam petat assequi, nisi casu aliquo præpediatur: eamque idcirco sibi debitam perfectionem assequatur puer in æterna beatitudine. Sexus et contrario inanimus, ad virilem nullatenus ordinatur, ut illum aliquando consequatur: quare nil mirum, si ea furgentibus feminis, virilis sexus perfectio denegabitur.

Quartum a naturali femine sexus subiectione delibatum momentum, quod ab æterna felicitate arcenda sit, expedit Doctor Angelicus in Supplemento quæst. 81. art. 3. ad 2. *Dicendum*, inquit, quod mulier subditur viro propter imbecillitatem naturæ, & quantum ad vigorem animi, & quantum ad robur corporis: sed post resurrectionem non erit differentia in his, secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritorum. Cui & illud addiderim: Mulieres tantum conjugatas viris suis esse subditas: post Resurrectionem vero nullum futurum conjugium, atque ita nullam mulieris subiectionem ad virum.

Postremum ex honesti specie sumptum: ne scilicet sexuum diversitas pudicis tunc oculis objecta, felicem illum statum, in quo nullus vestium erit usus, aliquomodo dehonestet: sibiis excipiendum est, responsionis honore profus indignum. Si enim in statu innocentie, nudæ erant protoparentes, & non erubescerent, Genesis 2. v. 25. quod nulla illic esset pugna carnis in spiritum; quid de æterna felicitate sentendum, ubi non modo hujusmodi pugna non erit, sed & corpus quodammodo spirituale resurget, spirituum doribus ornabitur, alimentis minime sustentabitur, & ad generationis officium nullatenus adhibebitur. Ac de his dictum satis.

X. Succedit jam in ordine tertiam quæstio: quo temporis intervallo: quoque ordine futura sit Resurrectio? Cui maxime locum dedit duorum Scripturæ locorum mutua in speciem pugna, ac diffonantia. Apostolus enim I. Corinth. 15. v. 52. facien-

faciendam Resurrectionem dicit, in momento, in ista oculi: Primæ vero ad Thessalonicenses 4. v. 15. priores alios, alios posteriores in resurgendo distinguit: Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul sapiemus cum illis, obviam Christo in aera. Prioris hujus Oraculi Apostolici auctoritate pressi Ecclesie Patres atque Interpretes, Resurrectionem vero proprioque momento faciendam docent; si id videlicet species, in quo vere proprieque Resurrectio posita est, corporum scilicet formationem, animarumque infusionem; quod proprium Dei opus erit. Ita D. Augustinus Epist. 49. quæ est ad Deogratias, quæst. 1. D. Hieronymus Epistola ad Minerium, Gregorius Nyssenus Orat. 1. de Resurrectione, Theodoretus, Eucemnius, Theophylactus in hunc ipsum Apostoli locum, S. Thomas in Supplemento quæst. 77. art. 4. Quamquam si ea species, quæ Resurrectionem antecedit, Angelorum ministerio faciendæ; (ut est cinerum collectio in locum unum, quæ absque motu fieri nequit) absque aliqua temporis morula esse non possit. Quid itaque sibi velit loco altero divinus Apostolus, varios Resurgentium ordines distinguens, exponendum est. Sunt qui dignitatis, non temporis ordinem ab Apostolo notatum existunt: quod ii qui jam in fide & gratia Christi mortui sunt, iis sint & merito & dignitate potiores, qui sub mundi finem diem sunt obituri. Quod certe servatæ loquendi formulæ minus congruit: primum etenim, & deinde ordinem temporis sonant, non dignitatis. Acquis etiam certo statuat, nullos futuros tunc temporis justos, qui aliquibus saltem superiorum temporum justis dignitate ac meritis antecellant? Non Eliam saltem, qui hac tantum extrema rerum humanarum periodo vitam ponet, ut & ipse a mortuis excitatus, rapiatur obviam Christo in aera? Idcirco alii temporis ordinem ab Apostolo positum arbitrantur, justos inter & impios: quod illi, utpote Christo obviam ituri, prius sint a mortuis excitandi, quam isti non ituri. At præterquam ii in alterum Apostoli dictum impingunt, omnium Resurrectionem in momento, in ista oculi futuram significans; repugnant & isti, quod in presentiarum expendimus; in quo non ponit ordinem justos inter & impios, sed justos inter, olim in Christo defunctos, & justos Christo ad judicium venientis secum obviam ituros. Quapropter simplicius fuerit, si dicamus, poni hic ordinem temporis ab Apostolo, non justos inter, & impios resurrecturos; aut etiam inter justos illos, & istos; sed inter justos, ut a mortuis suscitandos, eodemque illos, ut obviam venienti Christo Domino processuros: seu ut planius dicam, inter justorum omnium resurrectionem, & occursum ab eisdem Christo Domino faciendam: quod prius sint resurrecturi, postea Christo obviam processuri. Quasi dicat Apostolus: Mortui qui in Christo sunt, qualescumque illi sint, resurgent primi, seu primum; deinde nos, & quotquot tempore illo vivemus, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera. Momento itaque fiet omnium Resurrectio, tum subinde justo tempore fiet electorum occursum & raptus, ad Christum Judicem venientem.

Neque huic momentaneæ Resurrectioni repugnare putandum est, quod illam successione veluti faciendam describat Ezechiel Cap. 37. v. 7. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio; & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam: & vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extensa est in eis cutis desuper, & spiritus non habebant. . . . Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt. Non enim postremam illic mortuorum resurrectionem descri-

bit: sed in offensa sibi per visum aridorum ossium reviviscendum figura, palam significat, filios Israel, qui de omni prosperitate desperant, in terram suam, e qua pridem pulsi fuerant, esse reducidos. Quamquam si de postrema Resurrectione loqueretur Ezechiel, cum Doctore Angelico reponi posset: Ezechielem locutum fuisse populo rudi, sicut & Moyses. Unde dicitur: Simixit opera sex dierum per dies, ut rudis populus capere posset; quævis opera simul sint facta, secundum Augustinum: ita Ezechiel diversa que in resurrectione futura sunt, expressit, quævis omnia simul sint futura in instanti, In Supplemento quæst. 77. art. 4. ad 1.

XI. Quibus autem ministris, quibusve instrumentis, ea mortuorum excitatio faciendæ sit, ex Evangelio, & ex Apostolo liquet, modo figuratæ utriusque locutiones recto sensu intelligantur, & apparentes utriusque antilogie, secum invicem concilientur. Matthæi siquidem 24. v. 31. Angeli in commune hujus excitationis administri dicuntur; tuba & vox instrumenta, ad id muneris adhibenda: Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis Cælorum, usque ad terminos eorum. Apostolus vero I. ad Thessalonicenses 4. v. 15. Solam Archangeli vocem ponit, & Dei tubam: Ipse Dominus ejus, in jussu & in voce Archangelus, & in tuba Dei descendet de Cælo &c. Et I. ad Corinth. 15. v. 52. In momento, in ista oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Ac tandem Joannis 5. v. 25. Sola filii Dei vox memoratur, tacita tuba, & ministerio Angelico: Mortui audient vocem filii Dei; & qui audierint, vivent. Quibus omnibus conciliandis, una suppetit via, si dicamus, Dei filium causam integræ Resurrectionis principem fore: Archangelum vero, (quisquis tandem ille sit, seu Michael, ut putant aliqui, seu Gabriel, ut alii opinantur) præcipuum administrum: reliquos Angelos numero propemodum infinito, secundi Ordinis Administris; tum ad mortuorum cineres colligendos, tum ad divinum resurgendi mandatum perferendum, ac denunciandum. Quæ vero de voce filii Dei, quæ de tuba canente, tamquam faciendæ excitationis instrumentis subjiciuntur, metaphorice sunt accipiendæ, pro præsentis Christi virtute, seu pro spirituali Christi Domini imperio mortuis faciendæ, non de sensibili quodam sono atque clangore, aeris collisione & agitatione causato. Ridendosque nonnullos Interpretes puto, qui nugaci curiositate inquirent, ex qua materia futura sit terrifica illa tuba; aerea ne, an argentea, an ex nubibus, aliquove meteoris ab Angelis efformata? Talem enim vocem, talemque tubam intelligere necesse est, laudatis Scripturæ locis, qualem audire possint mortui, qui suis conduntur tumulis; juxta quod Joannis 5. v. 28. dicitur; Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei: sensibilem autem sonum mortui non percipiunt; nec percipere res ullæ inanimæ possunt; bene tamen spiritale Dei imperium, præsentemque virtutem sentiunt, cui parent, & obsequantur creaturæ universæ. Est & illa sacris litteris familiaris metaphora, ut tremenda Dei mandata attonitis populis data, divinaque virtus palam exhibita, tubæ clangentis symbolo denotentur. Isaia 27. v. 13. In die illa clanget in tuba magna, & venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, & qui eiectioni erant in terra Egypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem. Cap. 18. v. 13. Omnes habitatores orbis, qui morantur in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis: quia hæc dicit Dominus de me,

EXERCITATIO LXXII.

De causæ cujusque cognitione, in extremo judicio faciendæ, ferendæque sententiæ.

STAT multa de prævis ad judicium diximus hætenus: nunc ipse iudicii actus nobis est explicandus. Hujus sunt, pro more cujusque iudicii, partes duæ; causæ cognitio, prolatio sententiæ: est, nec ad id causæ cognitio institueda sit, ut Judex merita noverit, quæ se ipso jam novit; sed ad publicam malorum accusationem, honorumque commendationem: nec sit ferenda sententiæ, ut quis damnetur, aut absolvetur; cum privato quisque iudicio sit ante damnatus, aut absolutus; sed ut Divini iudicii æquitas agnoscat, ab omnibus, probeatur ab omnibus, acclametur ab omnibus. De utraque porro iudicii parte, varia sunt, quæ subesse questionis possunt, quæque finiri a nobis postulant. 1. Num causæ cognitio, seu distincta cujusque meritum inquisitio, voce sensibili faciendæ sit; an silentio, intimaque cujusque conscientia confusa? 2. Sit ne uniuscujusque causa discutienda? 3. Num omnibus omnium causæ patebunt? 4. Sit ne perinde sensibili voce ferenda sententiæ, an potius singulorum mentibus imprimenda? 5. An de omnibus hominibus, ac etiam de Angelis sit ferenda sententiæ? 6. Quinam Christo Judices adsint: Numve ad eandem cum illo causas? Quæ tamen omnia ut levibus difficultatibus implicentur, ita paucis a nobis expedientur, ac unica Exercitatione ista.

II. Causæ cujusque cognitionem sensibili voce, strepitumque veluti forensi faciendam opinabitur, quisquis Scripturarum Patrumque dicta de summa facie legerit; quæ profertur in iudicium liberos frequentissime monent; Custodes hominum Angelos, patronos iisdem adfuturos, causamque cujusque pro viribus oraturos; ipsamque etiam Satanam, accusatoris personam aditurum, & suæque in hominum perniciem jura pertinaciter contentione defensuram contestatur. Quisquis tamen Scripturæ oracula, Patrumque sententiæ intimis penderit, causam illic omnem silentio cognoscendam, intimoque cujusque cordis arcano, secretaque conscientia agendam, facile deprehendit.

Quid enim aliud sibi velit Apostolus, Epist. ad Romanos Cap. 2. v. 15. dum ait: Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam descendens in die cum iudicabit Deus occulta hominum: nisi totum illud scrutinium interna mente peragendum?

Quid Augustinus lib. 20. de Civit. Dei Cap. 14. dum scribit? Quædam vis est intelligenda divina, quæ fiet ut cuique opera sua vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur: ut accuset conscientia conscientiam: atque ita simul omnes & singuli iudicentur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit: in ea quippe quodammodo legitur, quidquid a faciente recolitur. Et Cap. 26. exponens illud Malachiæ 3. Accedam ad vos in iudicium, & ero testis velis super maleficos, & adulteros, ita commentatur: Testem se dicit futurum, quia in iudicio suo non indiget testibus: eumque velocem; sive quia repente venturus est, eritque iudicium ipso inopinatum ejus adventu celerimum, quod tardissimum videbatur; sive quia ipsas convincet, sine ulla sermonis prolixitate conscientias. In cogitationibus enim, sicut scriptum est Sap. 1. impij interrogati erit: & Apostolus cogitationibus, inquit, accusantibus vel etiam

me, &c. Zachariæ 9. v. 14. Dominus Deus super eos videbitur, & erit ut fulgur jaculum ejus, & Dominus Deus in tuba canet, & rades in turbine austris. Sophonia 1. v. 16. Dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super Angelos excelsos, &c. Quibus in locis, puerilis nugalaritas fuerit, sensibilem sonum aeris collisione atque agitatione formatum accipere. Quid ni idem de tuba mortuos ad iudicium excitante dicamus; Doctores præsertim Angelici suffragio freti, tubam illam ad meram metaphoram hæsentis, ac de præsentis Christi virtute, illiusque imperio atque mandato intelligentis, in suis in Paulum Commentariis, I. ad Corinth. 15. lectione 8. Ista tuba est vox illa Christi, de qua Matth. 25. dicitur, Media nocte clamor factus est. Joannis 5. Audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent. Vel ipsa præsentia Christi manifestata mundo, secundum quod dicit Gregorius: Tuba nihil aliud designat quam præsentiam Christi mundo manifestam: quæ dicitur tuba propter manifestacionem, quia omnibus est manifesta. Et hoc modo accipitur tuba, Matth. 6. cum facis elemosynam noli tuba canere. Et I. ad Thessal. 4. lect. 2. in ea verba, In tuba Dei descendet de Cælo. . . . Hæc est virtus divina, inquit Doctor Angelicus, quæ dicitur vox Archangelus, in quantum fiet minister Angelorum: & tuba Dei, in quantum virtus Divina fiet. Et dicitur tuba; propter sonoritatem, quæ provenit a Deo mortuos suscitante. Et paucis interjectis: Non erit vox corporalis, sed virtus divina Christi presens & manifesta toti mundo.

XII. Sic igitur ad Christi imperium, clangentis tubæ symbolo notatum sacris in litteris, excitati mortui, hoc situ & ordine ante tribunal Judicis constituentur, sententiam ultimam excepturi. Nimirum partem dexteram obtinebunt iusti, sinistram iniusti: Matthæi Cap. 25. v. 32. Priores tamen in aera sublimæ, splendidisque in nubibus veluti assidentes: ut ex Apostolo I. ad Thessal. 4. v. 16. non obscure colligitur: Mortui qui in Christo sunt resurgent primi: Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul sapiemus cum illis in nubibus, obviam Christo in aera. Omnes pro meritorum diversitate Christo iudici viciniores: illicque omnium proximi, qui una cum ipso proprie iudicium exercebunt: Apostoli scilicet, virique Apostolici; de quibus Matth. 19. v. 28. dictum est: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel. Injusti vero in terra consistent densi; coacervati, & contigati: ut vel hæc ipsa futura sit prima corporalis illorum pena. Medio dexteram inter & sinistram loco, nulli consistent. Quod enim obtrudebant olim Pelagiani, Parvulos sacro Baptismate non ablutos, medio quodam loco futuros in extremo iudicio, ut mediam illic sententiam excipiant, Ab Augustino rejectum est sermone 14. de verbis Apostoli, a Gelasio Romano Pontifice, Epistola Episcopos per Picenum constitutos, ab Episcopis Africanis anno 418. in Concilio coactis. Ad sinistram itaque parvuli non abluti consistent, uti & abluti dexteram obtinebunt; illicque reproborum, isti electorum sententiam subibunt: tamen nec illi paribus plecentur penis; nec pari isti gloria donabuntur.